

VIRGILE, *Géorgiques*, chant IV, vers 485-502

Eurydice perdue à jamais pour Orphée, mais pas pour Charon.

Jamque pedem referens casus evaserat omnes
redditaque Eurydice superas veniebat ad auras
pone sequens (namque hanc dederat Proserpina legem),
cum subita incautum dementia cepit amantem,
ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes :
restitit Eurydicenque suam jam luce sub ipsa
immemor heu ! victusque animi respexit. Ibi omnis
effusus labor atque immitis rupta tyranni
foedera, terque fragor stagnis auditus Averni.
Illa : « Quis et me » inquit « miseram et te perdidit, Orpheu,
quis tantus furor ? En iterum crudelia retro
fata vocant conditque natantia lumina somnus.
Jamque vale : feror ingenti circumdata nocte
invalidasque tibi tendens, heu ! non tua, palmas. »
Dixit et ex oculis subito, ceu fumus in auras
commixtus tenuis, fugit diversa, neque illum
prensantem nequiquam umbras et multa volentem
dicere praeterea vidit ; nec portitor Orci
amplius objectam passus transire paludem.
Quid faceret ? quo se rapta bis conjuge ferret ?
Quo fletu Manes, quae numina voce moveret ?
Illa quidem Stygia nabat jam frigida cymba.